

rius de iis taceat, Apologiam scribere facile superfedeo,) scripsit Ephemerides Theologicas, &c. Ergo &c. Quomodo vero hæc cohæreant ego non perspicio. Etenim 1. tantum est Collectio ad promovendum pietatem composita, in qua nulla contrectatio sacrorum Religionis, nulla explicatio, multo minus detorsio divinorum oraculorum, nullus pruritus novandi, nullum studium Theologis contradicendi & sic porro, sed Historia, Epistolæ, Poëmata, recensio Librorum Theologicorum, quarum magna Pars ab ipsis Theologiæ Professoribus aliisque Theologis suppeditata fuit. 2. Singulæ Libri partes prius, quam prelo subderentur, censuræ eorum, qui tum temporis Decanatum Facultatis Theologicæ Tubingæ gessere, oblatae sunt, neque vero censuram, sed approbationem, retulere: quæ circumstantia apud æquos rerum arbitros vel sola sufficere poterit, ut a crimine me absolvant. At, inquit Dn. CARPZOVIVS, notavere in iis nonnulla Theologi Saxonici; verum est, notarunt, sed eadem mala fide, qua tot optimos optimorum Theologorum libellos atro carbone notarunt, fidem eo ipso apud probos omnium Sectarum viros decoquentes: opiniones quippe a me longe alienas mihi affinxerunt, verba mea mutilarunt, recte dicta male dicta pronunciarunt & sic porro.

Specia-